Nisi generosi animi, ac proinde tuum esset, Illustris Domine, prioris beneficij magnitudinem eiusdem constantia tueri, nullus nunc apud humanitatem tuam precibus nostris esset locus. Socer meus Duvelaerius, cum inter eos, quos ut gerendo Middelburgensis Reipub. consulatui pares iudicium publicum celsissimo Principi nunc sistit, se quoque Principibus permixtum agnoscat Achivis, auctoritatem tuam per me implorare iterum audet, experiendo ante biennium edoctus, quantum illa ad honestissimae ambitionis explenda vota possit conferre. Patere itaque sic demum te rogari ab ijs, qui ut nunquam grati satis esse possunt in tantorum beneficiorum auctores, ita frequenter eos conveniunt, à quibus promoti hactenus sunt, et solis intelligunt se posse iuvari. Vale, illustris Domine. Middelburgi Zelandorum, ipsis Kal. Aug. CIƆIƆCXLIII.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius.

Ad huius quoque causae commendationem vel illud inprimis facit, quod optimo Principi visum fere hactenus sit, ad consulatus honorem eos hic maxime provehere, qui cum de fide iam ante gesserant. Inter quos cum bonorum omnium iudicio socer meus censeatur, conservandae huius tam praeclarae existimationis interest, ut in auctoritate tua ac gratia, quâ polles plurimum, detur nunc ac praesidium inveniat. Iterum vale, Nobilissime Domine, et audaciae meae ignosce.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3344

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3344

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3344

Mijn Heer,
d'Heer van Zuylichem,
Ridder, Raadt ende Secre-
taris van sijn Hoocheit,

In t'leger tot Assenede.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3344